Statuty Kazimierza III Wielkiego - wybór - Tekst łaciński

In nomine domini amen.

Non debet reprehensibile nec mirum judicari, si secundum temporum varietatem consuetudines et statuta humana varientur, cum cuilibet non sufficiat virium fortitudine pollere, vel armorum pulchritudine esse ornatum, si moribus et statutis non fuerit decoratus.

Et ob hoc nos Casimirus dei gratia Rex Poloniae, una cum Baronibus nostris, nutu et voluntate dei, considerantes, quod juxta temporum antiquitatem, in terris dominio nostro subjectis pleraeque causae in judiciis non uniformiter, sed secundum capitum seu animorum diversitatem, quamvis super uno et eodem facto, vario et diverso modo deciduntur et diffiniuntur, ex qua varietate quaestiones seu causae, plerumque post multiplices vexationes, remanent quodammodo immortales; quapropter ad laudem dei omnipotentis, beatae virginis Mariae, totiusque curiae coelestis, et ad profectum, commodum et utilitatem nostrorum subditorum, decrevimus praedictorum judiciorum seu causarum decidere et evellere varietatem; volentes et statuentes, quod deinceps perpetuis temporibus juxta infrascripta dumtaxat statuta omnes et singuli judices terrarum nostrarum debeant et teneantur judicare, et eadem statuta districte et firmiter observare. (Cf. III. 1.) (I. De judiciis et officialibus judiciorum.)

§ 1. Quum sub uno principe eadem gens diverso jure frui non debeat, ne sit tamquam monstrum diversa habens capita, expedit reipublicae, ut uno et aequali judicio, tam Cracoviae, quam Poloniae et ceterae nostrae terrae judicentur. Et ex quo unus princeps est omnium, una etiam moneta in toto regno haberi debet, cum consilio totius nostrae Baroniae et assensu; quae debet esse perpetua et bona in valore, ut per hoc magis sit grata et accepta.

§ 2. Ut in rapinis aut in pignorationibus nostrororum pauperum aliquis modus observetur. Consueverunt avari judices et eorum officiales, ut postquam pro poenis in judicio lapsis, aliquos pauperes aut nobiles impignorant, statim spolia dividunt, nullam gratiam cum impignorato facientes. Ad succidendam itaque hanc consuetudinem perniciosam, et eam amplius servare nolentes et prohibentes, statuimus: ut si quis Judex, Palatinus, Castellanus, aut ipsorum officiales, vel maleficorum judex, qui Oprawca dicitur, aut alius quicumque, pro poenis judicialibus per eos latis, aut aliis excessibus, aliquem nostrum terrigenam, divitem vel pauperem, nobilem vel simplicem impignoraverint, vel jusserint impignorare, pignora in equis, pecudibus, aut in aliis substantiis sic recepta non distrahendo vel dividendo, si fuerit in aestivo tempore, duabus septimanis integris, si autem hiemali, octo diebus illibata debent per recipientem conservari, sive juste pignorati fuerint, vel indebite rapina per eos commissa. Et si extunc per illum vel illos, quorum sunt pignora, pro commissis poenis non fuerit illis, qui impignoraverunt, satisfactum, vel suam innocentiam non ostenderint, licitum sit pignorantibus illa distrahere et dividere, pro libera ipsorum voluntate. Quod si tales judices, aut alii superius nominati, eorum avaritiae non parcentes, infra praedicta tempora inter se diviserint aut dissipaverint, vel etiam alienaverint unum animal de praedictis, damnum passo, juxta valorem animalis deperditi, quod suo comprobabit sacramento, cum poena Piętnadzieście tenebuntur resarcire.— Hoc statutum salubre propter nostrorum procuratorum rapinam enormem, quam saepius committunt, ad ipsos et ad vices eorum gerentes extendimus, sive prorogamus. (Cf. III. 10.)

(II. De procuratoribus.)

§ 3. Ut dominarum habitatio, propter fragilitatem sexus, a coetibus virorum omninosit distincta, et ne in causas vocatae premant se in turmis masculorum, sanxit nostra auctoritas de praesenti: ut si qua domina sive virgo, citans aut citata venerit ad terminum sibi praefixum, judex praesidens judicio officialem suum cum ejus adversario ad hospitium illius dominae mittere tenetur, coram quibus actionem sive defensionem suae causae, advocato vel procuratori, cui placebit, in totum delegabit. (Cf. I. 4.)

(III. De contumacia.)

§ 4. Quum omnes constitutiones et statuta legem imponant rebus et negotiis futuris, et non praeteritis, volumus, ut omnes nostrae constitutiones, editae nunc in colloquio generali in Vislicia, non respiciant praeterita, sed tantummodo praesentia et futura. Unde si quis citat ad judicium aliquem pro hereditate in pecunia obligata, et ipsum ad judicium evocat, extunc, si reus in termino peremptorio non parebit, actor lucrabitur nominatam hereditatem, pecunia reo nihilominus restituta. (Cf. I. 8. 44. II. 6. III. 12.)

§ 5. Quia victus victori tenetur satisfacere de evictione, et de judicio prius non recedere, nisi satisdet, in quo est condemnatus, quidam inopia vel rebellione ducti, recedunt de judicio condemnati, pro debito nullam satisfactionem adversario impendentes. Propter quod volumus, ut tales inobedientes de malitia ipsorum commodum non reportent. Postquam victi fuerint in judicio, ad manus suorum adversariorum ligati tradantur: et si in captivitate manentes effugerint, a potestate ipsorum sint liberi et soluti ipso facto, et omni debito, quod tenentur; praeter debitum furti, quod semper damnati solvere tenebuntur. (Cf. III. 11. IV. 12.) (IV. De foro competenti et scultetia.)

§ 6. Quum actor forum rei undique sequi debeat, volumus, ut si quis in judicio juris Teutonici contra reum suam actionem dirigit, aut proponit, reus actorem ibidem super alia quaestione simili, vel in aequali, reconvenire non poterit, sed suam litem aut causam coram judice competenti, cum voluerit, agitabit. § 7. Ex lege imperiali clara luce nobis constat, quomodo incendiarii et exustores voluntarii domorum, horreorum, aut quorumvis bonorum, morte crudeli et impiissima puniantur, quibus etiam inventis, si ad ecclesiam fugiant, patrocinium nullum ex hoc debeant obtinere, propter damnati criminis saevitatem. Consueverunt tales omnes, ut manus effugiant justitiae ipsos punire volentium, ut plurimum, in civitatibus vel villis Teutonicalibus permanere, ut actionem propositam contra eos eludant per juris Teutonici defensionem; et sic saepius talium maleficorum crimina remanent impunita.

Unde de nostrorum Baronum basso consilio, statuimus: ut accusati de crimine incendii sive exustionis, etiam inventi in civitatibus aut villis Teutonicalibus, extra forum ipsorum trahantur, et in jure Polonico, tamen coram judice competenti, tenebuntur respondere: sententiari et puniri poena digna debebunt, juxta exigentiam criminis et ejus probationem. (Cf. II. 28.)

§ 8. Re vera, non solum a malo, sed ab omni specie mali, quemlibet viventem sub lege necessarium est abstinere, per quam refrenatur malorum audacia, ut justorum innocentia tuta consistat. Sane quidam ad foeditatem corpus suum, ut plurimum, protrahentes, et lascivam vitam gerentes, deum non timentes, nec temporalem poenam formidantes, virgines stuprant, mulieres polluunt violenter, et quando impetuntur ab eis in recenti, jure Teutonico volunt se tueri, ut facilius eludant commissi criminis actionem. Visum exstitit nostris nobilibus in colloquio generali, quod et nos decernimus perpetuo observandum, ut tales oppressores virginum aut mulierum, si proclamaverint in recenti, jure Polonico, coram judice competenti teneantur respondere, et puniri, juxta commissi criminis qualitatem. (Cf .11.20.28.) § 9. Quum secundum Patrum Sanctorum decreta lex decernat illos amittere privilegii 57 auctoritatem, qui non utuntur in eo concessa sibi potestate, plures sunt nostri milites jus Teutonicum habentes in multis ipsorum villis, ex nostra aut nostrorum praedecessorum gratia eis facta, et tamen jure Teutonico obmisso, tantum secundum jus Polonicum se regunt in quibusdam. Statuimus, quod si in aliqua villa abusi sunt jure Teutonico, amplius per jus Teutonicum contra agentes non poterint se defensare. Propter quod volumus, quod ubi crimen est commissum, illo jure, quo illa villa tunc usa fuerit, debebit judicari, sive terminari. § 10. Quum officium Scultetorum semper servile existat, et ad nutum dominorum suorum stare et facere jure teneantur, indecens est, ut majores aut potentiores personae, in Scultetias aliquas, quam ipsarum villarum sui domini, assumantur. Idcirco visum fuit nostris Baronibus: ut nullus miles, aut alius quicumque Illustris, emat aut acquirat sibi in aliqua villa Scultetiam, praeter illius villae aut possessionis domini vel patroni voluntatem; factam autem contra hoc statutum ipsam emptionem, decernimus irritam et inanem.

(V. De praescriptionibus.)

§ 11. Quum omnis dissensionis et discordiae sit mater communio, in qua etiam fratres aut germani existentes, ad rancores seu lites non modicas saepius provocantur, ad quas evitandas homines ipsi, ne in periculum incidant vitae utriusque, consueverunt, ut plurimum, homines vivere et stare in propriis domibus separatim, de parte bonorum sive hereditatum, quae ipsos contingit, habita divisione, invicem ipsorum amicis mediantibus, licet ad principem notitia ipsius non deducta. Sed quia saepe contingit, quod ex aliquorum vita activa et bona procuratione, domus reparantur et procurantur, ceteri vero ipsum negligentes et in ratione dissoluti, domos proprias ac bona hereditaria reformare non curantes, domos informatas et hereditates ad utilitatem deductas, jure pro se vendicant obtinere, fratres aut amicos ipsorum ad judicia protrahentes; et sic quilibet paterfamilias, tactus hoc timore, a reparatione bonorum se subtrahit, et domorum erectione: propter quod, ut a torpore et pigritia tales retrahamus et excitemus, et bene laborantes et procurantes aliquod commodum inde reportent, statuimus nostra auctoritate, ut quicumque fratres vel amici, consanguinei vel remoti, sexus utriusque, abinvicem separati fuerint vel divisi, et in hac separatione seu divisione steterint per triennium et tres menses in taciturnitate, ad judicium non provocantes, nisi causa legitima allegetur, propter quam sibi non obviet praescriptio, a repetitione seu vendicatione partis hereditatis fratris sui vel amici, per praescriptionem objectam legitime excludantur. (Cf. I. 12. II. 8. III. 17. IV. 13.)

§ 12. Quum furta et latrocinia propter saevitatem criminis et inflictionen seu formidationem poenae pro delicto commisso opponendae, per maleficos interdum plurimum occultantur, ita quod notitia criminis in brevi non potest propalari, et sic quandoque furta remanent impunita, ut, cum contra eos actio proponitur, per exceptionem praescriptionis annualis volunt se tueri; in detestationem itaque criminis decernimus: ut, si quis de furto aut latrocinio in judicio accusatur, si est manens secum in una villa, aut in parochia una audit secum divina de domiciliis ipsorum, tunc objectus annualis praescriptionis procedit et habet locum contra agentem de furto. Sin autem abinvicem actor et reus sunt distantes, non alia praescriptio exceptionis agentem pro furto repellit, nisi tantum triennalis: et imputent suae pigritiae omnes desides et lenti, qui in sui damni recuperatione minime curaverint vigilare. (Cf. I. 49. III. 16. IV. 16.)

§ 13. Quum realis distinctio personarum habeatur, inter quas quaedam personae libere, ut virorum, aliarum autem, ut mulierum, minus libere agere possint in judicio, super rebus et hereditatibus ipsis debitis sive obligatis; propter quod statuimus: ut viris et masculis praescriptio triennalis tantum currat; viduis vero sex anni, propter fragilitatem sexus, in praescriptione opponantur; mulieri autem maritatae, cum non habeat sui ipsius liberam potestatem propter maritum, decem anni currant in praescriptione. (Cf. I. 64. III. 17.) § 14. Si CUJUSCUMQUE pueri impuberes ante legitimam aetatem ad judicia trahuntur super hereditaria quaestione, et ob defectum aetatis cum actore litem contestari nequeunt, propter quod, ex interlocutione judicis, litis contestatio eadem usque ad aetatem debitam illorum puerorum prorogatur, et dilatione pendente, aliquot anni effluere consueverunt. Quibus tunc pueris legitimam aetatem attingentibus, si quaestio eadem ipsis innovatur, exceptionem praescriptionis iidem pueri agentibus de se, illorum annorum, quibus induciati fuerunt, opponere non valebunt, sed tantum utentur illorum dierum praescriptione, si qua fuit apud ipsos vel eorum progenitores, antequam fuissent primo ad judicium super eadem causa evocati. (Cf. I. 27. IV. 15.) § 15. Similiter infantibus ad duodecim annos educatis, si tempore infantiae per quemvispiam injuria fuerit illata, aut patri ipsorum tunc mortuo, possunt illatam violentiam agitare, pro qua agere non valebant, propter defectum aetatis, contra ipsos impedientes seu injuriantes. Et exceptio praescriptionis eis opponi non poterit, nisi quum, legitima aetate in eis completa, infra tempus debitum agere negligerent pro injuriis olim eis illatis: tunc obstabit eis exceptio praescriptionis, propter negligentiam allegatam. (Cf. I. 27. IV. 14.)

§16. Ut Calumniis malorum hominum omnis via praecludatur. Consueverunt etenim quidam multum litigiosi, calumniose viros innocentes de crimine homicidii commissi ante multos annos, querulose accusare, cujus probatio vel purgatio propter vetustatem facti, facilis haberi non potest. Unde statuimus: ut si quis de crimine homicidii vult agere aut accusare, cupiens poenam capitis sibi vendicare et obtinere, antequam tres anni elabantur a die criminis commissi hoc in judicium deducat; alias, tribus annis elapsis, petenti et agenti pro capite obstabit exceptio praescriptionis objecta. (Cf. I. 49. III. 16. IV. 12.)

(VI. De jurejurando.)

§ 17. Ut viri famosi et juste jurantes aliqua speciali praerogativa apud nos, inter ceteros nostros fideles consolentur, statuimus de nostrorum Baronum voluntate: ut si quis miles, aut alius vir nobilis, cui aliqua quaestio furti nunquam in judicio mota fuit, de crimine furti aut latrocinii accusetur, fas sibi sit, propter bonam praesumptionem habitam de ipso apud vicinos, per proprii juramenti protestationem a tali accusatione se purgare. (Cf· I. 46. IU. 16.) § 18. Quum in causarum processibus apud justos judices nihil habeat vendicare odium, vel favor usurpare, timor praevalere, aut praemium justitiam evertere, sed gestent stateram in manibus, aequo libramine lances appendentes, ut in concipiendis et ferendis sententiis solum deum habentes prae oculis, ne velut famae suae prodigi et persecutores ipsorum honoris, contra eorum conscientiam et justitiam, per gratiam aut per sordes quidquam faciant partis in gravamen; propter quod statuimus: ut si aliquis deinceps judex ordinarius vel delegatus, dei timore postposito, utique sententiaverit contra aliquem clientulum, alteri parti ipsum condemnando super hereditate, aut alia re certa in judicium deducta, et propter hoc pars damnata ad superiorem appellat, et quia moris est in judicio polonicali, quod judex a quo, cujus sententia per partem impugnatur, non prius vult, nec tenetiu suam sententiam defensare, nisi prius per partem tres marcae aut pelles mardurinae sibi assignentur, ut parilitas in poenis habeatur, si idem judex vincatur per partem condemnatam, eidem pelles aut tres marcas receptas, cum poena Piętnadzieście, suffusus rubore suo adversario restituat, qui ad superiorem in falsa pronunciatione evocavit (Cf. I. 13. 09. II. 10. 11.) (VIII. De servitio belli.)

§ 19. Jus militale.— Quidam ex nostris nobilibus, cum in castris contra hostes positi fuerint, abjecto omni rubore, cum minima strenuitate communicantes, sub nullius vexillo de nostro exercitu se locare consueverunt, ad hunc finem, ut machinarum, propugnaculorum, aut ipsius exercitus custodiam evitent et defensionem, quam ceteri fratres ipsorum, sub certis vexillis locati, secundum ordinem inter ipsos positum facere consueverunt.

Et quia turpis est pars, quae suo non congruit universo, statuimus, ut quilibet miles aut simplex, sub certo vexillo erecto cum sua statione conquiescat, ut ingruente necessitatebelli et dimicationis cum hostibus, sciat capere locum certum, pro sui vexilli defensione.Aliter volumus, quod si tales amplius in nostro exercitu fuerint inventi, per Subcamerarium, sub quo degunt captivati, captivi nobis debebunt praesentari; equi vero eorum eidem. Subcamerario pro ipsa culpa applicentur. § 20. Expedit reipublicae, ut subditi in quiete vivant, et quod nulli noceant, et invirtutibus convalescant. Quidam praeterientes ista, veluti legis transgressores, cum per terras proprias pergunt ad expeditionem, quasi hostes se moventes, infinita damna pauperibus,etiam plura quam hostibus irrogare non obmittunt, per quae terrae nostrae maxime devastantur. Volentes itaque huic periculo de remedio opportuno providere, statuimus: ut quotiescumque ad expeditionem per terras nostras fit progressio, nullus stationem faciat invilla, sed in campo; nec rapinas in equis, pecudibus, pecoribus, aut in aliis rebus comittat; sed solum pabulum, moderate tamen, recipiat pro suis equis, et stationes faciat de lignis in silvis, gajis aut rubetis incisis et receptis, ut ex hoc aedificia villarum intacta consistant. Si quis, veluti temerarius hujus statuti violator, contrarium fecerit, domino illius villae, aut cui damnum est illatum, damna resarciat, juxta suum sacramentum super ablatis praestitum, cum poena, Piętnadzieście dicta, ad hoc apposita; et nihilominus alia similis poena in violationem statuti pro nobis cedet. (Cf. I. 20.) (IX. De lusoribus taxillorum.)

§ 21. UT NOXIUS ludus taxillorum abiiciatur, per quem saepius justi patres, propter filiorum excessum, de bonis pelluntur, et deducuntur, absque demeritis ipsorum, ad nimiam paupertatem, statuimus: ut si alicujus filius, utroque parente sanis existentibus, deluserit licujus pecuniae quantitatem, praedicti ludentis parentes non tenebuntur ipsi victori pro ipsorum filio ad alicujus pecuniae delusae satisfactionem.

Idem dicimus de Judaeis: simutuarent pecuniam tali filio, exstantibus parentibus adhuc sanis, ooncessio facta non valeat, nec ad satisfactionem aliquam Judaeis dicti parentes compellentur. Sic etiam dicimus de omni contractu inito cum filiofamilias, quod non valet, cum sit in patera* potestate constitutus, propter quod non habet alicujus dominium rei, vel aliquam possessionis traditionem. (Cf. L 21. 23.) (VII. De sententia et re judicata.)

§ 22. Ad praecludendam lusoribus taxillorum malitiae subtilitatem, qui consueverunt inebriatos aut ad provocationem irae deductos, novercante ipsis taxillorum ludi fortuna, super praestantiam seu credentiam de pecuniis, equis, et quandoque de hereditatibus cribrare, exspoliare et damnose ammonere; qui sic delusi et ad inopiam deducti, ut plurimum, ad vitia deteriora labuntur, propter quae ultio judicialis, juxta ipsorum demerita, a nobis consuevit in talibus exerceri; et ad hoc malum vitandum, et quod nostri nobiles, rebus abundantes, strenuitati dediti, pro defensione regni fortius invigilent, decernimus: ut deinceps nullus terrigena noster cum alienigena, cujuscumque status aut conditionis existat, in nostro regno ludat taxillos ad praestantiam, sed tantummodo pecunia pro parata. Quod si quispiam contra hoc statutum venerit temerarie, ipso jure non valeat evictio, nec ad aliquam solutionem seu ad satisfactionem victus victori tenebitur, nec fidejussor datus ipsi vincenti poterit de debito ammoneri. Si quis vero spernens hoc statutum, pro pecunia sic evicta acriter monuerit suum debitorem cum verbis turpibus, vel ejus fidejussorem, quotiescumque maledixerit vel improperaverit pro debito praelibato, totiens illi pro sua verecundia poenam Piętnadzíeście, quae dicitur, solvat, et nostro judicio nihilominus aliam similem poenam pro inobedienta assignabit. (Cf. I. 24. IV. 29.) (X. De usuris.)

§ 23. Quum in usurarum voragine sit insatiabilis appetitus, extorsioni pecuniarum terminum non imponens, proinde statuit nostrorum Baronum auctoritas: ut Judaei, fidei nostrae veri inimici, Christianis pecunias ipsorum mutuantes, non plus pro qualibet septimana exigere habeant, nisi tantum unam quartam, cum gratiarum actione.

Et si Judaei, qui per novas deceptiones ad literam obligationis mutuant pecunias, sustinuerint infra duos annos suum debitorem, pro usura accrescente et pro principali debito ad judicium non provocantes, extunc ipso facto usuram accrescentem ulterius post duos annos, amittere debent, et tantum de principali sorte, et de usura jam aucta infra praedictum tempus, sint contenti. Neque per eandem literam obligationis poterint obligantem effectualiter ammonere, nec obligatus stare, tenere, vel observare ipsis tenetur suam obligationem vel promissum. (Cf. I. 25. 26.) (XI. De divisione bonorum.)

§ 24. Ex communi usu in regno nostro observatur, quod moriente matre, bonorum omnium pueri a patre ipsorum tollunt medietatem; propter quod contingit saepe, filios aetate juvenili eis in parte amittere bona levata a patre, et amodo, propter ingratitudinem factam patín, patrem non succurrere filiis ad inopiam vergentibus; et sic ex tali divisione pars utraque sentit incommodum et reportat. Visum exstitit nobis et nostrae militiae, ut matre moriente, filii non petant bonorum obvenientium ex linea paterna aliquam a patre portionem, antequam ad secundas nuptias convolabit, nisi tunc, velut famae suae prodigus, bona et hereditates illas communes indebite dissiparet. (Cf. 1. 29. II. 18.) (XII. De injuriis et damno.)

§ 25. Crebra altercatione inter nostros subditos, super limitibus in hereditatibus ipsorum distinguendis, graves quaestiones suscitantur, ex quibus expensae augentur, et labori nimio interdum supponuntur discordantes. Et quia alvei fluviorum, ut plurimum, inter hereditates profluentium habentur, unde, si quae villae aut hereditates invicem conveniunt, a liquo fluvio vel rivulo mediante, ita, quod quaelibet hereditas suam ripam teneat illius fluminis ad ipsam protensam; quod si idem fluvius, obmisso primaevo alveo, diverterit suum meatum sive defluxum per alia loca, non ministerio hominis, sed virtute propria, tunc primus alveus, ubi antea fuit decursus aquae, pro veris limitibus est reputandus, et ibidem in lacu illo, de utraque villa homines inhabitantes faciant licite suas piscaturas. Secus autem dicimus, si fluxus fluminis a proprio meatu per reparationem hominis retrahatur; tunc etenim decursus fluminis pro terminis semper est habendus.

§ 26. Lt quilibet alium indemnem vigilet conservare. Si aliquis alterius semina jumentis, vel quibuslibet pecoribus majoribus depascat, statuimus: quod pro quolibet jumento vel pecore, unam quartam denariorum passo damnum is, cujus fuerint jumenta vel pecora, solvere teneatur.— Ad evitandum autem quamlibet altercationem, decernimus: quod ad proximiorem Castellaniae curiam, sive fuerit regalis, sive cujuscumque judicis, eadem jumenta passus damnum depellendi habeat facultatem; ita tamen, quod sub testimonio vicinorum, in propria domo passi damnum jumentis sive pecoribus per noctem servatis, in crastino ad proximiorem curiam Castellaniae depellere teneatur jumenta vel pecora praedicta. (Cf. I. 2. II. 22.)

§ 27. Quidam de ipsorum audacia multum praesumentes, intrantes silvam vel gajum alicujus, praeter domini voluntatem quercus excidunt meliores, nullam poenam sequi ex hoc praetendentes. Statuimus: ut si quis inciderit quercum in bonis alienis domino invito, valentem ad axem, aut de minoribus quercubus vel aliis lignaminibus currum repleverit poenam, quae dicitur Sześć grzywien, illi solvat, in cujus dominio sunt incisa. (Cf. 1. 32.II. 25.) § 28. Et licet CANONICA sanctio depopulationes agrorum multum odio habeat, tamen temerarios a malo non revocat, nisi addatur torques in colla ipsorum, et temporali disciplina impii puniantur. Propter quod statuimus: ut si alicujus militis, praelati, civis aut alterius hominis simplicis familiares, frumenta de nocte cmetonum vel quorumcunque receperint, licitum sit domino frumenti, aut suis servis vel amicis, ipsa defensare, equos recipientium, vel alias res libere pro se tollere. Et si quempiam tunc occiderit, impunite volumus ipsum pertransire; dominum vero illum, de cujus domo exiverunt tales depopulationes, in poenas nobis Piętnadzieścia decernimus incidisse. Et si vulnerarent aut occiderent frumentorum defensorem, solvant vulnera laeso, vel caput pueris vel amicis, cum poenis praenotatis. (Cf. I. 20. 37. 38. 39.)

(XIII. De poenis.)

§ 29. Quoniam omnis scurrilitas verborum et turpiloquium ad rixas homines provo- 84. cantes, apud virtuosus debent non immerito evitari, atque non aliter, nisi metu poenae, 85. quandoque aliqui a talibus prohibentur, unde volumus.: ut, quispiam linguam suam non refrenans, si nobilis nobili improperaverit, asserens ipsum filium meretricis, et statim non revocat, aut non negat, quod dixit, neque probat eum esse talem, prout ipsum asseruit, pro vituperio illius, quem sic vituperavit, ratione poenae solvat LX marcas grossorum, veluti si ipsum occidisset.— Idem dicimus, si matrem ejus meretricem nominavit, et non revocavit, nec probavit, quod asseruit; in similem poenam ipsum decrevimus incidisse. Revocando autem debet dicere: „id quod sum locutus, sum mentitus sicut canis“. (Cf. 1. 60. U. 5. IV. 22.) § 30. In percussionibus militum et aliorum nostrorum subditorum, istum modum in poenis exigendis volumus observari. Si miles militi, aut nobilis nobili plagam dederit absque sanguinis effusione, nobili, cui illata est talis percussio, poena, quae dicitur Piętnadzieście, per inferentem debet assignari. Si autem illi inferatur, qui non habet jus militale, tunc marca grossorum pro tali vulnere, cmotoni vero poena Sześć grzywien per percudentem debet solvi. (Cf. I. 43· II. 4. 5. 19.)

§ 31. Ut poenarum distinctio et legitima divisio habeatur. Quod si emeto vulneratur cum sanguinis effusione, aut pereuttitur enormiter, de omnibus poenis pro vulneribusaut percussionibus sententiatis, duas partes laeso, tertiam autem judicio, ubi causa agitatur, assignari demandamus. (Cf. I. 43. II. 19.)

(XIV. De homicidio.)

§ 32. Ut violentorum audacia refrenetur, statuimus: quod dum miles parem sibi militem occiderit, pro capite LX, pro mutilatione cujuslibet membri XXX, et pro simplici vulnere XV marcas solvere teneatur. (Cf. I. 43. U. 19. 28. III. 21.)

§ 33. Et licet lex, tam novi, quam veteris testamenti, fratricidium et alia saeva crimina graviter puniat, seu damnet, tamen quidam, velut hostes proprii sanguinis et honoris, legis poenam minus formidantes, fratricidium committunt, sororem vel proximum occidunt, ut ex ejus morte bona hereditaria lucrentur. Volumus itaque: ut unde lucra habere cupierunt, inde damnis affligantur, et puniantur, in quo pecaverunt, omnes regnicolae et nobiles regni nostri, fratres, sorores, aut proprios consauguineos interimentes, non habentes proles, vel habentes, in hereditaria successione nullum accessum obtinebunt. Quin imo sententiamus ipsos, et ipsorum filios privamus omni legitima talium hereditatum portione, in quibus bonis sive hereditatibus, alii consanguinei, licet remotiores in linea, obtinent successionem. Quos in aggravationem culpae ipsorum, propter inhumanitatem criminis, omnes fratricidas et patricidas infames pronuntiamus, et inhabiles ad aliquos honores promovendos. (XV. De profugis.)

§ 34. Saepius contingit, ut quidam de militali prosapia procedentes, veluti prodigi honoris et famae ipsorum, furta seu latrocinia committentes, sint profugi nostri regni spontanea voluntate ipsorum, et sic occasionem habentes, plura mala committere non formidant, pro quibus incidunt in iram nostrae indignationis. Tandem de commissis furtis et ceteris actibus malis poenitentia ducti, amicorum suorum intercessione mediante, nostram clementiam implorare consueverunt, et sic nostrae gratiae de novo restaurantur. Volumus, quod licet nostra ira sit dimissa eis et poena, nihilominus pro furtis et damnis viris justis illatis, tenebuntur judicialiter respondere et satisfacere, juxta sententiae diffinitionem per judicem deputatum, non obstante qualibet diuturnitate. Et infamem talem reputamus, neque aliis nobilibus, qui nunquam profugi exstiterunt, in fama et sublimitate honoris poterit adaequari. Similiter illum dicimus infamem, qui occulte insidiando habitatoribus nostri regni, fures et profugos servat, et partitur cum eis rapta et male conquisita. Tales non possunt dicere se probos, cum impares probis viris reputentur. (Cf. II. 29. III. 24.)

§ 35. Quum ex separatione subditorum bona dominorum saepius desertantur, nulla causa legitima ad hoc persuadente, visum fuit nostris Baronibus, huic periculo non segniter obviare. Propter quod nostra voluntate est institutum: ut non plures cmetones aut incolae de una villa insimul possint ad aliam villam recedere, nisi unus vel duo, praeter domini illius villae, in qua degunt, voluntatem, nisi in casibus his exceptis, ut: si dominus villae opprimat tiliam aut uxorem sui cmetonis; aut pro excessu sive culpa heredis ibidem, villani bonis ipsorum depraedentur; vel in sententia excommunicationis per annum durent, sui domini ex delicto. In talibus casibus, non tantum tres vel quatuor ejusdem villae incolae abire possunt, sed omnes inhabitantes ibidem recedant, quo placebit (Cf. II. 30.) *"Statut czwarty wiślicki powszechny z roku 1368", w: Starodawne prawa polskiego pomniki,* wyd. A. Z. Helcel, t. 1, Warszawa 1856, s.199-206.